

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequalis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema XXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

non discedit in aliam regionem, sed expectat iudicium Domini. At Dominus mox misertus populi cessat affligere.

L. I. Recte facit David, quod patienter se submittit pœnæ & expectat quid velit statuere Deus. Scit enim se non posse effugere manum illius. Psalm. 139. Rectius multi si idem facerent.

L. II. Quicquid delirant reges plectuntur Achiui.

QVÆSTIO. An non sit iniuria subditis? David peccavit & illi puniuntur? Sic sane David indicat. vers. 17. Oves istæ quid fecerunt? At non sunt innocentes. Aliis enim peccatis irritauerunt Deum etiam ipsi. Quod clare patet ex initio cap. 24 lib. Sam. Iratus est furor Domini contra Israel: non contra Davidem. Abusus enim est populus pace, qua fruebatur sub Dauide. Ideoque vt puniretur, permisit Satanæ, vt incitaret Davidem, &c.

Hæc cum ita sint, non debent subditi tantum accusare Magistratus, sed seipsos, &c.

THEMA XXIV.

2. Reg. 13. à v. 20. ad 22.

De sepulto Moabita in sepulchro Elisæi & reuiuiscente ex contactu eiusum Prophete.

DISPOSITIO.

Si hanc præsentem historiam narraret homo aliquis, cuiuscunque conditionis vel authoritatis; aut describeret illam nobis vel Poetarum, vel scriptorum Ethnicorum celeberrimus quispiam, & quem alioquin omnium haberemus veracissimum: haud tamen immerito pro fabula illam haberemus. Tam enim illa est mirabilis, vt fidem non mereatur, si rationis humanæ iudicium velimus sequi. At quia non humana authoritate allata est scriptura, [2. Pet. 1. vers. 21.] sed Prophete illi, de quibus [1. Par. 30 vers. 29.] dictante Spiritu sancto scripserunt, ideo quectas erit de vlla parte historiæ sacræ dubitare: & sic

E

etiam

etiam præfens historia pro verissima habenda; atque tanto debet esse nobis commendatior, quanto illa est mirabilior. Hæc autem notabimus.

1. Sepulturam Elisæi, in Israel.
2. Sepulturam alterius in sepulchro Elisæi.
3. Resuscitationem, vel potius resurrectionem sepulti istius.

I. *Pars.*

Insignis & excellens Propheta Domini fuit Elisæus ille, olim famulus Eliæ, super quo requievit spiritus Eliæ in duplo. Extrat legenda illius à cap. 2. libri 2. Reg. ad c. 13. Ille tamen mortuus est: quia homo fuit.

Quamvis autem vitium sæpe fuerint persecuuti, & pueri 2. Reg. 2. ipsum riserint, pauci etiam Israelitæ senes doctrinam ipsius sequuti fuerint, tamen vbi mortuus est, agnouerunt ipsum fuisse virum Dei, currum & aurigam Israelis, sicut ipse rex Joas, quantumvis impius, appellat Prophetam, patrem vocans quoque. Ideoque etiam defunctum honeste sepeliunt, in sepulchro exciso siue concamerato, (quale erat etiam illud Josephi, in quo Christus erat positus. Matth. 27. v. 60.) quodque non implebatur terra, sed lapide grandi, tanquam ostio, claudebatur: vt patet ex hoc loco satis manifeste. Et absque dubio Rex Joas ipsius sepulturam curauit: qui ægrum Prophetam inuisit.

Idque extra urbem erat, pro more istorum temporum: sicut etiamnum plerunq; extra mœnia sunt cœmeteria, propter multas causas.

L. I. De sepultura locus hic monet De hoc autem scilicet supra, honeste sepeliendos defunctos. Vide præcedens Thema VII.

L. II. Sic plerumque tum demum viri magni, & de nobis bene meriti honorantur, vbi vita sancti sunt.

Tum enim bona nostra agnoscimus, quando ea quæ in potestate habuimus, amissimus.

Re.

Rectius fieret, si præſentes & viuos honoraremus : & ſequeremur illorum vel doctrinam, vel exemplum laudabile in vita.

I I. Pars.

Vt fieri ſolet, defunctis viris bonis & magnis, quod mox ſequuntur calamitates, &c. ita eodem anno quo mortuus legitur Eliſæus, Moabitæ irruptionem fecerunt in Iſrael.

Dum autem milites Moabitici irruptionem faciunt, forte fortuna extra ciuitatem ſepeliendus eſt homo quidam : quem vbi non poſſunt peculiari ſepulchro condere, territi exercitu latrunculorum, coniciunt mox in ſepulchrum Eliſæi, quod prope erat iuxta ciuitatem, & ſic, vt ſupra diximus, concameratum & lapide clauſum (wie ein Gewölbstein) vt facile poſſet aperiri. Quis ille fuerit incertum eſt. Alii putant fuiſſe vnum ex Moabiticis, & quidem primarium, qui ab Iſraelitis ſit occiſus in illa pugna, & quem ipſi Moabitæ fugientes noluerint relinquere inhumatum. Alii ſentiunt fuiſſe Iſraelitam, qui ſepeliendus fuerit, & cum illi proprium facere vellent ſepulchrum, ſuperueniſſe hoſtes Moabitas, vt non licuerit Iſraelitis tantum inſumere temporis, donec foderent ſepulchrum, & idcirco ipſos aperuiſſe tumbam Eliſæi, & cadauer in illam ſpeluncam proieciſſe, in qua quieſcebat corpus Prophetæ, & mox ſe in urbem recepiſſe. Hæc ſententia eſt quam ſimilima vero. Alii dicunt fuiſſe virum iuſtum & magnum, nomine Sallum. Contra Hebræi dicunt, fuiſſe impium quendam: vt infra dicetur.

Quicumque is fuerit, huc in tumbam Eliſæi fuit conditus, ne relinqueretur inhumatus, & parum refert quis fuerit.

Lo c v s. Difficulter hic defunctus & non ſine periculo ſepeliri potuit : & tamen tandem ſepulchrum tam honorificum inuenit, quod non ipſi erat paratum. Sed & ipſe Filius Dei peregrino conditur tumulo, quod Joſeph

pho Arimathienſi erat paratum. Tam incertum eſt, quo quiſque loco ſit ſepeliendus. Multorum Chriſtianorum corpora plane inhumata relicta ſunt, tempore perſeque- tionum, vt Auguſtinus refert. De ciuit. Dei, lib. 1. cap. 12. Quamuis igitur Patriarchæ propter certas cauſas, & ſingularẽ Dei promiſſionem certum ſibi locum ſepulturæ elegerint: neque reprehendi poſſit, ſi quis ſibi de tali loco proſpiciat, vt Joſephus Mattha: 27. v. 60. tamen non nimis anxie id quærendum vt infeliciores nobis videamur, ſi non loco oprato ſepeliatur. Sicut multi ultra quam par eſt ſolliciti ſunt de loco ſepulturæ (Da wiſſ ich ſigen) cum neſciant, quo loco ſint morituri. Permittant igitur hoc Deo, cuius eſt omnis terra, Pl 24. v. 1. Et ſi plane non ſepeliatur, ſciant tamen illud (cælo regitur, qui caret vna) Vide Plal. 79. v. 1. & 3. Corpora ſeruorum dederunt eſcam volatilibus. Non erat qui ſepeliret. Nihil enim ſaluri vel officit, vel conducit iſte ritus humandi. Vide Auguſt. loco citato. A cælo non ſeparantur, quos terra non regit.

III. Pars.

Mortuus & ſepultus ille, in rumbam Eliſai proiectus, vt primum contigit oſſa viri Dei, reuixit, & ſterit ſuper pedes ſuos. Addunt hoc loco Hebræi, quod egreſſus foras, atque illico deſunctus fuerit. Quia homo impius, & indignus qui cum oſſibus viri Dei quieſceret. Sic Hebræi communiter ſentiunt.

Alii vero iſtum Sallum [de quo ſupra] fuiſſe dicunt, qui etiam domum regreſſus adhuc filios genuerit. De his vero ſcriptura tacet. Ideoque curioſius inueſtiganda non ſunt cætera.

Sufficit quod ſepultus reuixit. Quare hoc factum? Voluit hac ratione Dominus confirmare doctrinam Eliſai. Hoc ſenſu ipſe (iuxta Syrac. 48. verſ. 14.) mortuus prophetauit. Oſtendit enim Dominus, & docuit tam Iſraelitas quam Moabitæ, quod fuerit vir Dei, & quod vaticinia ipſius complenda ſint. Qui itaq; Prophetæ viui
mira-

miraculis nihil fuerunt moti, iam hoc miraculo quod ipso mortuo factum erat, debebant moueri, &c.

L. I. Nos vero docet hoc miraculum, de certissima mortuorum resurrectione. Sic enim Deus hoc potuit efficere per ossa mortui Prophetæ, quid non possit per vocem filii omnipotentis, de qua Joan. 5. v. 28. 1. Theff. 4. v. 16. Vide ossa arida Ezech. 37. Itaq; Job nihil dubitat Job. 19. v. 25. Nec quisquam pius.

L. II. Nihil vero seruit hic locus Pontificiorum superstitionibus, & opinioni de peregrinationibus ad monumenta sanctorum.

Hanc enim virtutem ossa Elisæi non habent ex se, sed singulari Dei virtute & consilio hoc est factum ex causis supra dictis. Neque habemus eius rei mandatum vllum. Imo interdictum, ne pro viuus ad mortuos transeamus Esa. 8. v. 19. Ideoque Deus studiose occultat sepulchrum Mose, Deut. 34. vers. 6. Quo diabolus volebat abuti ad seducendum homines, [vt recte innuitur Ep. Judæ vers. 9] sicut serpente æneo. Ideoque destruitur. 2. Reg. 18. vers. 4. Nec hoc sine ossa Martyrum in primitiua Ecclesia, fuerunt condita & reseruata, sed ex charitate & propter spem resurrectionis. Vide de ossibus Polycarpi hist. Ecclesiast. Euseb. lib. 4. cap. 15.

F I N I S.

THEMA XXV.

2. Reg. 20. ab initio ad v. 8.

De Hiskia, agro, & restituto, &c.

D I S P O S I T I O.

Memorabilis est hæc historia, de Jehiskia rege piissimo, qui sententiam mortis iam acceperat, non ipse, in seipso, vt Paulus 2. Cor. 1. v. 9. sed à Deo per Prophetam. Et tamen singulari Dei beneficio, nec sine miraculo restitutus est non tantum sanitati, sed & quindecim annorum dilationem impetrauit. Et quia singularis est historia